

'PANORMITA'

HERMAPHRODITUS (912 vers)

( ANTONIO BECCADELLI )

## AD COSMUM FLORENTINUM

EX ILLUSTRIS PROGENIE MEDICORUM VIRUM CLARISSIMUM

## HERMAPHRODITI LIBELLUS

## LIBELLUS PRIMUS

QUOD SPRETO VULGO LIBELLUM AEQUO ANIMO LEGAT, QUAMVIS LASCIVUM,  
ET SECUM UNA PRISCOS VIROS IMITETUR

H1\_01 v.1 Si vacat a patrii cura studioque senatus,  
2 quicquid id est, placido lumine, Cosme, legas.  
3 Elicit hoc cuivis tristi rigidove cachinnos,  
4 cuique vel Hippolyto, concitat inguen opus.  
5 Hac quoque parte sequor doctos veteresque poetas,  
6 quos etiam lusus composuisse liquet,  
7 quos et perspicuum est vitam vixisse pudicam,  
8 si fuit obscaeni plena tabella joci.  
9 Id latet ignavum vulgus, cui nulla priores  
10 visere, sed ventri dedita cura fuit,  
11 cujus et hos lusus nostros inscitia carpet.  
12 O ita sit ! doctis irreprehensus ero.  
13 Tu lege tuque rudem nihili fac, Cosme, popellum,  
14 tu mecum aeternos ipse sequare viros.

## AD SEMET IPSUM LOQUITUR ET RESPONDET

H1\_02 v.1 Cosmus habet dios et lectitat usque poetas :  
2 quid studium turbas, rauce poeta, suum ?  
3 Cosmus habet lautas epulas : quid oluscula cenat ?  
4 Una quidem ratio est et studii et stomachi.

## AD COSMUM, VIRUM CLARISSIMUM, DE LIBRI TITULO

H1\_03 v.1 Si titulum nostri legisti, Cosme, libelli,  
 2 marginibus primis Hermaphroditus erat.  
 3 Cunnus et est nostro, simul est et mentula libro ;  
 4 conveniens igitur quam bene nomen habet.  
 5 At si podicem vocites, quod podice cantet,  
 6 non inconveniens nomen habebit adhuc.  
 7 Quod si non placeat nomen, nec et hoc, nec et illud,  
 8 dummodo non castum, pone quod ipse velis.

## AD MATRONAS ET VIRGINES CASTAS

H1\_04 v.1 Quaeque ades, exhortor, procul hinc, matrona, recede ;  
 2 quaeque ades hinc pariter, virgo pudica, fuge.  
 3 Exuor, en bracis jam prosilit inguen apertis,  
 4 et mea permulto Musa sepulta mero est.  
 5 Stet, legat et laudet versus Nichina procaces,  
 6 assueta et nudos Ursa videre viros.

## DE URSA SUPERINCUBANTE

H1\_05 v.1 Quum mea vult futui superincubat Ursa Priapo ;  
 2 ipse suas partis sustineo, illa meas.  
 3 Si juvat, Ursa, vehi, moveas clunemque femurque  
 4 parcus, aut inguen non tolerabit onus.  
 5 Deinde cave reduci repetas ne podice penem :  
 6 quamvis, Ursa, velis, non mea virga volet.

## DE CORVINO, VINUM ACCURATE CUSTODIENTE, NON UXOREM

H1\_06 v.1 Corvinus vegetem custodit clave seraque,  
 2 non cohibet cunnum conjugis ille sera.  
 3 Zelotypus vegetis, cunni sed prodigus ille est ;  
 4 haustu nam cunnus non perit, illa perit.

## EPITAPHIUM PEGASI CLAUDI PAEDICONIS

H1\_07 v.1 Si vis scire meum nomen votumque, viator,  
 2 Pegasus hac ego sum claudus humatus humo.  
 3 Vota deinde scias, nomen quum sciveris ; audi :  
 4 sic desiderio tu potiare tuo.  
 5 Quum pathicum quemquam paedicatorum ephebum es,  
 6 illud in hac tumba, quaeso, viator, agas  
 7 atque ita mis animas coitu, non thure, piato,  
 8 scilicet hanc requiem Manibus, oro, dato.

9       Hoc apud infernas genus est leniminis umbras  
 10       praecipuum ; prisci sic statuere patres.  
 11       Quippe ita Chironis cineres placabat Achilles,  
 12       sensit et hoc podex, flave Patrocle, tuus,  
 13       gnovit Hylas, patrio percisus ab Hercule busto.  
 14       Tu mihi majores quod docuere lita.

DE URSAE TENTIGINE ET NASO

H1\_08   v.1       Si multus multae est nasus tentiginis index,  
           2       Ursae tentigo tenditur usque pedes.  
           3       Quin si multa ampli nasi tentigo sit index,  
           4       nasus ad usque tuum tenditur, Ursa, genu.

AD CORNUTUM RESPONDET   QUARE RELICTA ETRURIA TRISTIOR SIT

H1\_09   v.1       Quaeris ab unanimi, dulcis Cornute, sodali,  
           2       cur videor licta tristior Etruria,  
           3       cur lusus abiere jocive, et pallor in ore est,  
           4       muta quid hic subito facta Thalia mea est.  
           5       Pene potens agit hic Gallus, qui cruscula solus  
           6       quaeque velit, solus basia quaeque velit.  
           7       Is sibi habet quodcumque natis vel podicis urbe est,  
           8       quicquid et e Tuscis aut aliunde venit.  
           9       Munera dat, Croeso nummato qualia sat sint ;  
          10       muneribus blandas adjicit illecebras.  
          11       Inde edicta suis scribit quasi praetor ephebis :  
          12       "Ne sine te tangi, ne sine te subigi."  
          13       Non potes ergo loqui puero, ni indulgeat ille ;  
          14       ni velit is, puero non potes ipse frui.  
          15       Tu contra ingenuas mulieres, tu quoque servas,  
          16       tuve bonas vexas inguine tuve malas.  
          17       Vix tibi quae natum sacro de fonte levavit,  
          18       vix sacra, vixque soror, vix tua tuta parens.  
          19       Tu futuis viduas, futuis nuptasve maritasve,  
          20       et tibi vis cunni quicquid in urbe manet.  
          21       Tu tibi vis igitur tota quid mingit in urbe :  
          22       ille sibi tota quicquid in urbe cacat.  
          23       Et mihi quin etiam jam constat mentula, qualem  
          24       qui superat certe non homo, mulus erit.  
          25       Et mihi nimirum constant viresque vicesque,  
          26       quales qui vincit non homo, passer erit.  
          27       Cur mihi non igitur futuendi copia fiat,  
          28       nec sit quae coleos hauriat ulla meos ?  
          29       Quare agedum nobis de partis cede puellam  
          30       aut unam, aut unam tu mihi quaere novam.  
          31       Tunc me conspicias laetum lautumque licebit,  
          32       candida tunc pulchrum nostra Thalia canet.

## IN MATHIAM LUPIUM CLAUDUM MALEDICUM

H1\_10 v.1 Nescio quis nostram fertur carpsisse Camenam ;  
 2 si non decipior, Lupius ille fuit.  
 3 Illa sibi solita est nimium lasciva videri ;  
 4 confiteor, vitae congruit ergo suae.  
 5 Est vir is obscaenus, nostrae est lascivia Musae ;  
 6 illa levis versu, moribus ille levis.  
 7 Adde quod id monstri pedibus non ambulat aequis,  
 8 imparibus constat nostra Camena modis.  
 9 Si culpat versus, et se culpae necesse est :  
 10 si sapis, ergo, tace, prodigiose senex.

## IN EUNDEM LORIPEDUM

H1\_11 v.1 Dic mihi, cur longo, Lupi, vestiris amictu ?  
 2 An vitium surae vis operire toga ?  
 3 Nil agis, o demens, humeri, latera atque moventur,  
 4 ut tumida nullo remige lembus aqua.

## IN MAMURIANUM, POSTREMAE TURPITUDINIS VIRUM

H1\_12 v.1 Si tot habes scapula penes, quot sorpseris ano,  
 2 et perfers, vincis, Mamuriane, boves.

## IN LENTULUM MOLLEM, ELATUM ET POSTREMAE TURPITUDINIS VIRUM

H1\_13 v.1 Solus habes nummos, et solus, Lentule, libros,  
 2 solus habes pueros, pallia solus habes,  
 3 solus et ingenium, cor solus, solus amicos,  
 4 Unum si demas, omnia solus habes.  
 5 Hoc unum est podex, quem non tibi, Lentule, solus,  
 6 sed quem cum populo, Lentule mollis, habes.

LEPIDINUS AB AUCTORE QUAERET CUR QUI SEMEL PAEDICARE COEPERIT  
 HAUDQUAQUAM DESISTIT

H1\_14 v.1 Cur qui paedicat semel, aut semel irrumat, auctor  
 2 nugarum, nunquam dedidicisse potest ?  
 3 Imo Brito et bardus, cum vix gustaverit, ultro  
 4 certat in hoc ipsas vincere amore Senas.  
 5 Parthenope Gallis cedit, Florentia Cimbris,  
 6 si semel iis puerum sors tetigisse dedit !

## AD LEPIDINUM RESPONSIO ET QUARE URSUS CAUDA CARET

H1\_15 v.1 Accipe ridiculam, dulcis Lepidine, fabellam,  
 2 et quae quod poscis dissoluisse queat.  
 3 Fertur ab horticola divam quaesisse Priapo,  
 4 seu Venus in dubio est, seu dea Flora fuit,  
 5 cur, quum velentur quasi quaeque animalia cauda,  
 6 ursus non cauda membra pudenda tegat.  
 7 Ille refert, escam cupide dum quaereret ursus,  
 8 in tempestivos incidit ille favos,  
 9 nec comedit primum, licet ipse famelicus esset,  
 10 quandoquidem merdas credidit esse favos.  
 11 At, stimulante fame, mox haeret, libat et instat,  
 12 mel sapit, et tandem non edit, immo vorat.  
 13 Rusticus advortit, properat, strepit ; ursus obaudit.  
 14 Rusticus is custos mellis et Argus erat.  
 15 Denique robusti cauda subnititur ursi  
 16 et trahit ; ille novo non trahit ora cibo.  
 17 Pauperiem timet hic, timet hic de melle moveri,  
 18 ille suo perstat proposito, ille suo.  
 19 Verum adeo trahit hic, adeo hic contrarius obstat,  
 20 manserit ut stupida cauda revulsa manu...  
 21 Hic deus hortorum, dum subdere plura pararet,  
 22 arrigit, et pepulit mentula tenta deam.  
 23 Sic qui forte mares semel inclinaverit, idem  
 24 haud facinus coeptum destituisse potest.

## IN MATHIAM LUPIUM

H1\_16 v.1 Annua publicitus tibi larga pecunia, Lupi,  
 2 solvitur : et pueris quot legis ipse ? Tribus !

## IN EUNDEM LITTERARUM IGNARUM

H1\_17 v.1 Inde tui libri sint, inde scientia, Lupi :  
 2 qui non desipiat, mallet habere libros !

## LAUS ALDAE

H1\_18 v.1 Aldae oculis legere domum Charitesque Venusque,  
 2 ridet et in labiis ipse Cupido suis.  
 3 Non mingit, verum si meit, balsama mingit ;  
 4 non cacat, aut violas, si cacat, Alda cacat.

## AD CORIDONEM ARDENTEM QUINTIUM, TURPEM ET DEFORMEM PUERUM

H1\_19 v.1 Quintius is, Corydon, quem vesanissime flagras,  
 2 siccior est cornu, pallidiorque croco.

3 Aridus in venis exstat pro sanguine pulvis,  
 4 deque suo gracili corpore sudor abest.  
 5 Aethiopi perhibet gens concubuisse parentem,  
 6 atque ideo gnatos edidit illa nigros.  
 7 Si risum elicias, rictum inspicias sibi qualem  
 8 prodit in aestivo tempore cunnus equae.  
 9 Si buccam olfacias, culum olfecisse putabis,  
 10 verum etiam culus mundior ore suo est.  
 11 Mentula perpetuo tibi quam contracta jacebit,  
 12 tu sibi dumtaxat basia fige semel.  
 13 I procul hinc, Quinti, foedum putensque lupanar,  
 14 atque alio quovis ista venena feras.  
 15 Quis numeret quot hians absorpserit inguina podex ?  
 16 Quot naves Siculo litore Scylla voret !  
 17 Ipse palam patitur, pudet heu, muliebria cuivis,  
 18 ipse palam tota prostat in urbe puer.  
 19 Qui puerum hunc igitur quit paedicare, profecto  
 20 is poterit rigidas supposuisse feras.

#### IN HODUM MORDACEM

H1\_20 v.1 Hodus ait nostram vitam non esse pudicam :  
 2 e scriptis mentem concipit ille meis.  
 3 Non debet teneros Hodus legisse Catullos,  
 4 non vidit penem, verpe Priape, tuum.  
 5 Quod decuit Marcos, quod Marsos, quodve Pedones,  
 6 denique quod cunctos, num mihi turpe putem ?  
 7 Me sine cum tantis simul una errare poetis,  
 8 et tu cum vulgo crede quid, Hode, velis.

#### AD BAPTISTAM ALBERTINUM DE URSAE LUXURIA

H1\_21 v.1 Comis es et totus pulcher totusque facetus,  
 2 litterulis totus deditus ingenuis,  
 3 atque Albertorum claro de sanguine cretus  
 4 nec morum quisquam est nobilitate prior.  
 5 Cum placeas cunctis raris pro dotibus, idem  
 6 tu mihi pro vera simplicitate places.  
 7 Veridicus cum sis et apertae frontis amicus,  
 8 in parili nostro casmate dic quid agas.  
 9 Si mihi sint epulae totidem, quot in alite plumae,  
 10 uno luxurians has edet Ursa die.  
 11 Si mihi sint totidem vegetes, quot in aequore pisces,  
 12 uno subsitiens ebibet Ursa die.  
 13 Si mihi sint totidem loculi, quot litore arenae,  
 14 hos omnes uno depleat Ursa die.  
 15 Si mihi sint totidem libri, quot in aere pennae,  
 16 hos omnes uno feneret Ursa die.  
 17 Si mihi sint totidem penes, quot in arbore rami,  
 18 hos omnes uno sorbeat Ursa die.  
 19 Denique si nasis essem, Baptista, refertus,  
 20 hos foetore omnis imbuet Ursa die.

## AD QUINTIUM QUOMODO POSSIT ARRIGERE

H1\_22 v.1 Ad non dilectas, Quinti, tibi mentula tenta est :,  
 2 si tibi jucunda est, non potes arrigere.  
 3 Qui volt posse, suum digitos intrudat in anum ;  
 4 sic perhibent Helenae consuevisse Parim.

## AD MINUM QUOD LIBELLUM CASTRARE NOLIT

H1\_23 v.1 Mine, mones nostro demam de carmine penem :  
 2 carmina sic cunctis posse placere putas.  
 3 Mine, meum certe nolim castrare libellum :  
 4 Phoebus habet penem Calliopeque femur.

## EPITAPHIUM HORIECTAE SENENSIS PUELLAE BELLISSIMAE AC MORATISSIMAE

H1\_24 v.1 Postquam marmoreo jacet hoc Horjecta sepulchro,  
 2 ipsa deum credam numina posse mori.  
 3 Non fuit absimilis forma aut virtutibus ipsis  
 4 caelitibus, Senae gloria magna suae.  
 5 Heu heu, non probitas species aut unica quemquam  
 6 abs inclementi demere morte potest.  
 7 Quod si clara deos faciat mortalia virtus  
 8 corpora, si caelum simplicibus pateat,  
 9 non dubitem, per vim modo non sibi jura negentur,  
 10 dejiciet supera sede puella Jovem.

## EPITAPHIUM BAPTISTAE VIRGUNCULAE SORORIS HORIECTAE

H1\_25 v.1 Hic tumulus, longe tumulo felicior omni  
 2 Baptistae auricomae virginis ossa tegit.  
 3 Dulciter haec agili pulsabat cymbala dextra,  
 4 movit et artifices saltibus apta pedes.  
 5 Omnibus et cantu plus quam Philomena placebat,  
 6 matre quidem pulchra pulchrior illa fuit.  
 7 Indolis egregiae minimo pro errore rubebat,  
 8 sparsa rubore placens, fusa rubore decens.  
 9 Quum satis haec fecit naturae luce suprema,  
 10 transierat vitae vix duo lustra suae.

## IN MATHIAM LUPIUM PAEDICONEM

H1\_26 v.1 Ergo tua, Lupi, si pascitur Hisbo culina,  
 2 cur non obsequitur jussibus ille tuis ?  
 3 Etsi grammatica instituas hunc arte magister,

4 cur tibi dat tenera verbera crebra manu ?  
 5 Nescio Tiresiae sortes, nec aruspicias artes,  
 6 sed conjectura hoc et ratione scio :  
 7 qui nocte est facilis, durus sit luce necesse est ;  
 8 quem non paedicas est tibi morigerus.

AD SANCTIUM BALLUM, VERSUUM SUORUM CULTOREM

H1\_27 v.1 Sancti, nugarum lector studiose mearum,  
 2 cui plus quam satis est nostra Camena placet,  
 3 desine mirari versus quos inter edendum  
 4 edimus, aut hora carmina lusa brevi.  
 5 Testis es ut, quum jam versu defixior essem,  
 6 e digitis calamos subtrahat Ursa meis ;  
 7 carmina, jam nosti, strepitu persaepe foroque  
 8 condita sint medio qualiacumque legis.  
 9 Quum platea dubius peterem verbumque locumque,  
 10 factus sum monitu certior ipse tuo.  
 11 verum adeo longe me diligis, ut tibi vatis  
 12 Thraicii videar concinuisse lyra.  
 13 Si qua tamen nostrae dederit sors otia pennae,  
 14 et me tranquilla scribere mente sinat,  
 15 est animo, versus, quos nulla oblitteret aetas,  
 16 conficere, ingenii ni mihi vana fides.  
 17 Interea felix et amans, mi Balle, valet,  
 18 fiant et Parcae ferrea fila tuae,  
 19 et tua crudelis deponat Masia fastus,  
 20 atque iterum felix, compatriota, vale !

LAURIDIUS AD AUCTOREM DE FLAGRANTISSIMO AMORE SUO

H1\_28 v.1 Me vexat Perusinus amor, vincitque Senensem,  
 2 heu capit, heu vexat me Perusinus amor.  
 3 Collibeat summo proles Perusina Tonanti,  
 4 grata foret superis stirps Perusina deis.  
 5 Karolus, insignis forma natoque decore,  
 6 me tenet et tenero sub pede colla premit.

AD LAURIDIUM RESPONSIO DE AMORE SUO

H1\_29 v.1 Ut lubeat Perusinus amor te verset et angat,  
 2 me mea Senensis Lutia nympha capit.  
 3 Gens tibi gensque Jovi placeat Perusina superno,  
 4 me mea dumtaxat nympha Senensis amet.  
 5 Nil mortale tenet, divas et moribus aequat  
 6 et specie, et Jovis haec digna rapina foret.

SENA CIVITAS ETRURIAE LOQUITUR ET IOVEM ORAT  
UT SALTEM SIBI LUTIAM NIMPHAM SERVET MORTALITATIS EXPERTEM

H1\_30 v.1 Jupiter, omnipotens et clementissime divum,  
2 exaudi fundit quas tua Sena preces.  
3 Justa precor, justas audi, justissime, voces  
4 urbis, et oh miserae commiseresce, deus !  
5 Postquam me affligi tantorum morte virorum  
6 et nuruum placuit, vivat alumna precor.  
7 Vivat alumna precor, quam scis prolixius unam  
8 mater amem, stabile est matris alumna decus.  
9 Nympha diu superet, patriae faustissima proles,  
10 est honor et dos, spes, gloria, fama mei est.  
11 ut peritent cuncti, et maneat modo nympha superstes  
12 damna potest patriae restituisset suae.  
13 Si vivit, mecum est virtus, victoria, mos, pax,  
14 nobilitas et cum nobilitate salus.  
15 Sin migrat, sane cuncta haec et plura peribunt,  
16 mors sua mors nobis omnibus acris erit.  
17 Non amor, aut cultus, nec erit jocus ullus in urbe,  
18 plausus, nec risus, laeta nec ulla dies.  
19 Gymnasium pariter solvetur, gloria Senae,  
20 quod mea jocundo lumine nympha tenet.  
21 Credite vos, superi, celebris curate puella  
22 vivat, longaevo est digna puella die.  
23 Diique deaeque, iterum moneo, servate puellam,  
24 et sinite Etruria stet decus urbe suum.  
25 Credite, si nigrae truncent sua pensa Sorores,  
26 ingens caelicolis pugna deabus erit.  
27 Suscipiet siquidem caelestis regia nymphen  
28 atque opus est proprio cedat ut una polo :  
29 aut sibi promeritae decimum statuetis Olympum,  
30 nympha quidem caelo est Lutia digna novo,  
31 aut pellat quamvis propria de sede necesse est,  
32 digna quidem caelo est Lutia nympha suo.  
33 Dicite vos, caelum si pro virtute secutae  
34 sitis, an ulla poli munere digna mage est ?  
35 Nulla fuit vestrum, veniam date, purior illa  
36 moribus, ingenio vel pietate prior.  
37 Denique centenos operam date victitet annos,  
38 neu cedat vestris mors sua forte malis.  
39 Ergo simul, divae, mecum exorate Tonantem,  
40 ut praestet nymphae tempora longa meae.

AD COSMUM FLORENTINUM VIRUM CLARISSIMUM

H1\_31 v.1 Quam modo sensisti si non tibi grata fuit vox,  
2 Cosme, nihil miror : Sena locuta fuit.

EPITAPHIUM CATHERINAE PUELLAE ORNATISSIMAE

H1\_32 v.1 Hoc jacet ingenuae formae Catherina sepulchro ;  
 2 grata fuit multis scita puella procis.  
 3 Morte sua lugent cantus lugentque choreae,  
 4 flet Venus et maesto corpore maeret Amor.

IN MAMURIANUM TUSCUM PENISUGGUM

H1\_33 v.1 Tuscus es, et populo jocunda est mentula Tusco ;  
 2 Tusculus et meus est, Mamuriane, liber.  
 3 Attamen e nostro praecidam codice penem,  
 4 praecidam simul ac, Mamuriane, jubes :  
 5 nec prius abscindam, nisi tu prius ipse virilem  
 6 promittas demptam suggere nolle notam.

AD AMILUM PAEDICONEM

H1\_34 v.1 Hunc paedicato qui portat, Amile, tabellam,  
 2 et referas quae sit pulchra tabella magis.

DE VILICO STULTO ALDAM BASIANTE

H1\_35 v.1 Porticus insignem facie dum sustinet Aldam,  
 2 villicus incautae basia rapta dedit.  
 3 Hunc vulgus stolidum credit, sed stultius illo est  
 4 vulgus. Me miserum, quam bene, stulte, sapis !  
 5 Cum liceat stultis impune suavia nymphae  
 6 figere, dii facerent stultus ut ipse forem !

IN MATHIAM LUPIUM PAEDICONEM

H1\_36 v.1 Lupius, indoctum dum paedicaret ephebum,  
 2 dixit : "Io, clunes, dulcis ephebe, move ."  
 3 Hic ait : "Id faciam, verbo si dixeris uno".  
 4 Ille refert : "Ceve ! diximus, ergo move."

EPITAPHIUM SANZI LIGORIS, BELLI AC DOMI PRAECIPUI VIRI

H1\_37 v.1 Temporibus luteis in me Romana refulsit  
 2 virtus prisca domi militiaeque simul.  
 3 Nomen erat Sanzus, clara de stirpe Ligori ;  
 4 sarcophago hoc tegitur corpus, at umbra polo est.

## AD PONTANUM POLLAM SEMIDEAM ARDENTEM, PRO QUO VEHEMENTER ORAT

H1\_38 v.1 Si vacat, Aoniis o vir pergrate Camenis,  
 2 accipe quid pro te lingua animoque precer.  
 3 Ut tibi dent annos Superi, dignissimus aevo es,  
 4 dignior est digno candida Polla viro.  
 5 Et tibi sit facilis tenera cum matre Cupido,  
 6 dignior est tenerae Polla favore deae.  
 7 Et visens nullo possis, Pontane, videri,  
 8 dummodo semidea tu videare tua.  
 9 Atque anus enervis, quae semper murmurat in te,  
 10 in fontes urnae pondere tracta cadat.  
 11 At via declivis fieri planissima possit,  
 12 sentiat et gressus semper amica tuos.  
 13 Et si dulce canas, possit vox ipsa videri  
 14 dulcior, et credat suavius esse nihil.  
 15 Inque dies crescat calor hic, et possit amare  
 16 strictius hic illam, strictius illa virum.  
 17 Et tibi jam possit nymphe praeclara videri  
 18 Tyndaris, ac illi tu videare Paris.  
 19 Hispidus actutum queat exspirare maritus,  
 20 ni deus ortorum vir sit, ut esse putas.  
 21 Sive sit ipse deus, seu non, tamen ipsa maritum  
 22 te fingat, tecum seque cubare putet.  
 23 Et tibi contingat demum inclusisse labellis  
 24 et linguam et dominae sustinuisse femur.  
 25 Si forte unanimis pro me, Pontane, precari  
 26 atque vicem votis reddere forte velis,  
 27 id precor assidue, noctuque diuque precare,  
 28 ut sit deformis nulla superstes anus.  
 29 Sit tibi nil mirum si inculta et dissona mitto :  
 30 in risu et medio carmina facta joco.

## IN MALEDICUM

H1\_39 v.1 Est qui me coram meque et mea carmina laudet,  
 2 et me clam laniet, meque meosque sales.  
 3 Obticeat, ni se laniavero clamve palamve,  
 4 inque suas maculas ipse trilinguis ero.

## AD CRISPUM, QUOD SUAS LAUDES INTERMISERIT RUSTICO CACANTE

H1\_40 v.1 Arbor inest medio viridis gratissima campi,  
 2 limpidus hinc constat rivulus, inde nemus.  
 3 Hanc avis adventat pulchraque sub arbore cantat,  
 4 lenitur sonitu lucus et unda suo.  
 5 Hic de more aderam, versus dictare parabam,  
 6 adstiterat calamo Clio vocata meo.  
 7 Crispe, tuos coepi sanctos describere mores,  
 8 quive vales prosa, carmine quive vales,  
 9 utque tua summus sis civis in urbe futurus,

10 ut meritum virtus sitque habitura suum.  
 11 Rusticus interea satur egesturus in herba  
 12 se fert ; contigua pallia ponit humo,  
 13 mox aperit bracas, coleos atque inguina prodit,  
 14 leniter et nudas verberat aura nates,  
 15 inflectit genua ac totum se cogit in orbem,  
 16 imposuit cubitos crure, manusque genis,  
 17 postera jam talos contingere crura videntur,  
 18 se premit et venter solvitur, inde cacat.  
 19 Tunc ex vocali ventosa tonitrua culo  
 20 dissiliunt, strepitu tunditur omnis ager.  
 21 Excutior, calamus cecidit, dea cessit in auras,  
 22 ad crepitum trullae territa fugit avis.  
 23 Deprecor, ut primas plantas, male rustice, vites,  
 24 postmodo sat sitiens non sua vina bibas,  
 25 rustice, sulcatae summittas semina terrae,  
 26 nec panem esuriens, nec, miser esse queas.  
 27 Ergo vale, et tum quum concinna reverterit ales,  
 28 jam pergam laudes scribere, Crispe, tuas.

DE PRECIBUS PULCHRA HOMERI FICTIO

H1\_41 v.1 Ite Preces, gnatae magni Jovis, en praeit Αἴης,  
 2 Αἴης, quae vobis praevia monstrat iter.  
 3 Si multum validis Nocumentum passibus anteit,  
 4 ite citae, lippae loripedesque Preces.  
 5 Ivit Ate, cuivis omnem nocitura per orbem,  
 6 ite citae vestris gressibus, ivit Ate.  
 7 Est Florentina celeber tellure poeta,  
 8 quem numerat genitis Sicilis ora suis.  
 9 Illius ex lepido cantant Heliconides ore,  
 10 illius ex digitis pulsat Apollo chelim.  
 11 Non peperit Latium, non Graecia, mille per annos,  
 12 eloquio similem vel probitate virum.  
 13 Illi ego non parvo jampridem jungor amore,  
 14 jampridem nobis mutuus exstat amor.  
 15 Hunc petite, hunc vigili vos offendetis in aede,  
 16 cantantem altisonis regia gesta modis.  
 17 Hunc igitur magni Jovis exorate puellae,  
 18 per si qua est scriptis fama futura suis,  
 19 ut mihi concedat perrara Epigrammata *Marci* ; (i.e. *Martialis*)  
 20 illa libens relegam, restituamque libens.  
 21 Si facilis, divae, coram venientibus exstet  
 22 et meritis vobis exhibeatur honos,  
 23 aequae adjutrices hunc exaudite rogantem,  
 24 sitis et huic placidae, parque referte pari.  
 25 Quod si vos nihili faciat dureque repellat,  
 26 poscite confestim, turba repulsa, Jovem,  
 27 hunc ut terribili Nocumentum voce sequatur,  
 28 et damnas poenas detque luatque graves.

## AD COSMUM VIRUM CLARISSIMUM DE LIBRI DIVISIONE

H1\_42 v.1 In binas partes diduxi, Cosme, libellum,  
 2 nam totidem partis Hermaphroditus habet.  
 3 Haec pars prima fuit, sequitur quae deinde secunda est.  
 4 Haec pro pene fuit, proxima cunnus erit.

## AD COSMUM VIRUM CLARISSIMUM QUANDO ET CUI LEGERE LIBELLUM DEBEAT

H1\_43 v.1 Hactenus, o patriae decus indelebile, panxi,  
 2 convivae quod post prandia, Cosme, legas.  
 3 Quod reliqui est, sumpta madidis sit lectio cena,  
 4 sicque leges uno carmina nostra die.

## LIBELLUS SECUNDUS

QUOD CIVILI IURI OPERAM DARE, ET MERITO, PERGIT,  
 CUM HAC TEMPESTATE NON SIT QUISQUAM REMUNERATOR POETARUM

H2\_01 v.1 Cosme, vir Etrurias inter celeberrime terras,  
 2 si sileas, videor velle videre tuum :  
 3 malles, posthabitis jam jam lusuve jocove,  
 4 clausissem forti strenua bella pede.  
 5 Ut tu magnanimus, sic et permagna cupiscis :  
 6 hei mihi, sed nostro tempore Caesar abest !  
 7 Hic "Tibi sit largo pro Caesare gloria ! ", dices :  
 8 sed tales epulas non meus alvus edit !  
 9 Laurea sit cuivis, dum sit domus aurea nobis :  
 10 auratam facient aurea jura domum.  
 11 Dant lites requiem, donant chirographa nummos :  
 12 hoc lex dat ; voces gloria sola dabit.  
 13 Haec alit, haec fatuas dumtaxat inebriat aures :  
 14 scilicet et venter carior aure mihi est !  
 15 Famaque quantalibet veniat post funera nobis :  
 16 excipiam nullos mortuus aure sonos.  
 17 Ergo sequor prudens leges ac jura Quiritum,  
 18 prostituo prudens verba diserta foro.  
 19 Quum vacat officio legali, ludicra condo  
 20 dum bibo, quae nobis immeditata fluunt.  
 21 In mensa nequeunt heroum gesta reponi,

22 non sunt implicitae proelia mentis opus.  
 23 Sit mihi Maecenas : claros heroas et arma  
 24 cantabo, et nugis prae fera bella feram.

## AD PUELLAS CASTAS

H2\_02 v.1 Vos iterum moneo : castae nolite puellae  
 2 discere lascivos ore canente modos.  
 3 Nil mihi vobiscum est : vates celebrate severos.  
 4 Me Thais medio fornice blanda legat.

## LAUS ALDAE

H2\_03 v.1 Si tibi sint pharetrae atque arcus, eris, Alda, Diana ;  
 2 si tibi sit manibus fax, eris, Alda, Venus.  
 3 Sume lyram et plectrum : fies quasi verus Apollo ;  
 4 si tibi sit cornu et thyrsus, Iacchus eris.  
 5 Si desint haec et mea sit tibi mentula cunno,  
 6 pulchrior, Alda, deis atque deabus eris !

## IN ALDAE MATREM

H2\_04 v.1 Ut mihi tu claudis, mater stomachosa, fenestram,  
 2 sic tibi claudatur cunnus, iniqua parens !  
 3 Id tibi erit gravius, caelebs videre licebit,  
 4 quam tibi si caeli janua clausa foret.

## LAUS ALDAE

H2\_05 v.1 Alda, puellarum fortunatissima, gaude :  
 2 vincitur omnipotens igne Cupido tuo.  
 3 Alda deas omnis specieque et moribus aequat :  
 4 sit minime mirum si capit Alda deos.

## AD PHILOPAPPAM DEPERIENTEM STERCONUM VIRUM TURPEM

H2\_06 v.1 Ni te detineat Sterconus, scire volebam  
 2 an stomachus peni sit, Philopappa, tuo,  
 3 et stomachus certe talis qui digerat Aetnam,  
 4 albicat hiberna quum magis Aetna nive.  
 5 Quid loquor in nebulis, qui non intelligor ulli ?  
 6 Simpliciter dicam quid, Philopappa, velim.  
 7 Est puer, hunc ardes, quin deperis : et puer ille  
 8 sit tibi, ter decies qui nova musta bibit ?  
 9 Jam pridem aegrotat : cur aridus instar aristae est,  
 10 et dubites vultus larva sit an facies ?

11 Quamvis ipse gula sit longus, quum tamen ossa  
 12 proluit os, vellet guttur habere gruis.  
 13 Est sibi pro bello rubicundula tibia naso :  
 14 et patula cerebrum nare videre potes.  
 15 Cruribus atque ano densorum silva pilorum est,  
 16 qua possit tuto delituisse lepus.  
 17 Mentis multivolae est, venalis, potor edoque,  
 18 diligit et tantum munera, more lupae.  
 19 Ille ,ita me dei ament, sic est aut turpior : at tu  
 20 proh pudor, hunc plus quam viscera, caecus, amas.  
 21 Nescio quem vulgus dicat flagrasse lucernam ;  
 22 derisi quondam, sed modo vera putem.  
 23 Non erat in populo formosior alter Etrusco ?  
 24 Non erat Italico gratior orbe puer ?  
 25 Caecus amor plerum mortalia pectora caecat,  
 26 nec nos a falsis cernere vera sinit.  
 27 Cur edat ille fimum, vulpes quaesivit asellum :  
 28 "Nam memini," dixit, "quod fuit herba fimus".  
 29 Sic, puto, tu referes cuivis fortasse roganti,  
 30 diligis hunc ideo, quod tener ante fuit !  
 31 Caecus es, et credis me cassum lumine, coram  
 32 Sterconum eximiis laudibus usque ferens.  
 33 Crura licet pueri bombycia lautaque dicas,  
 34 crura tamen siccae pumicis instar habet.  
 35 Jam modo crediderim te verpum posse Priapum  
 36 scilicet et Lybicas accubuisse feras.  
 37 Immanem ergo fovet stomachum tua mentula, verum  
 38 nil videt, ut quae oculos ederit illa suos !

#### AD AURISPAM DE URSAE VULVA

H2\_07 v.1 Ecquis erit, vir gnare, modus ne vulva voracis  
 2 Ursae testiculos sorbeat ampla meos ?  
 3 Ecquis erit, totum femur haec ne sugat hirudo,  
 4 ne prorsus ventrem sugat ad usque meum ?  
 5 Aut illam stringas quavis, Aurispa, medela,  
 6 aut equidem cunno naufragor ipse suo.

#### AURISPAE RESPONSIO

H2\_08 v.1 Si semper tantus spiraret in aequore foetor  
 2 neminis ut nasus litora ferre queat,  
 3 quis vel in Adriaco, Scythico quis navita posset  
 4 aut in Tyrreno naufragus esse mari ?  
 5 Et tu ne timeas : nam, quum magis arrigis Ursae  
 6 quumve magis cupias, vulva repellat olens.  
 7 Haec flat ita horrendum, quod pingue et putre cadaver  
 8 Ursae cum cunno lilia pulchra foret ;  
 9 haec flat ita ut, merdis si quisquam conferat inguen,  
 10 sit violae et suaves multa cloaca rosae.  
 11 Sin tuus hunc talem non horret nasus odorem,  
 12 ut sit tunc vulvae strictior Ursa dabo.

## AD URSAM FLENTEM

H2\_09 v.1 Quid fles ? En, nitidos turbat tibi fletus ocellos !  
 2 Quid fles, o lacrimis Ursa decora tuis ?  
 3 Forte quod adversus te acciverit ira Camenas,  
 4 aut mihi quod tu sis non adamata putes ?  
 5 Crede mihi, mea lux, tantum te diligo, quantum  
 6 non magis ex animo quisquis amare queat !  
 7 Tu quoque me redamas ; dubium est quis vincat amore :  
 8 alter utram vincit, vincitur alter utra.  
 9 Cur igitur credis vitio qui ductus iniquo  
 10 inter nos rixam dissidiumque cupit ?  
 11 Juro per has lacrimas et crura simillima lacti,  
 12 perque nates mollis et femur, Ursa, tuum,  
 13 quod numquam nisi quae te laudent carmina feci  
 14 sic sit versiculis gratia multa meis !  
 15 Ah, pereat, quaeso, tibi qui mendacia dixit !  
 16 Ah, pereat falsum qui tibi cumque refert !  
 17 Terge tuos fletus, sine te dissuavier, Ursa ;  
 18 parce mihi : luctu torqueor ipse tuo.  
 19 Tandem siste tui lacrimas curaue salutem :  
 20 namque ego, te domina sospite, sospes ero.

## DE POENA INFERNALI QUAM DAT URSAM AUCTIONI SUPERSTITI

H2\_10 v.1 Si calor et foetor, stridor quoque sontibus umbris  
 2 sint apud infernos ultima poena locos,  
 3 ipse ego Tartareas dum vivo perfero poenas :  
 4 id mihi supplicium suggerit Ursa triplex.  
 5 Nam sibi merdivomum stridit resonatque foramen,  
 6 fervet et Ursa femur, putet et Ursa pedes.

## IN HODUM MORDACEM

H2\_11 v.1 Quod genium versusque meos relegisve probasve,  
 2 gratum est ; quod mores arguis, Hode, queror.  
 3 Crede velim nostra vitam distare papyro :  
 4 si mea charta procax, mens sine labe mea est.  
 5 Delicias pedibus celebres clausere poetae,  
 6 ac ego Nasones Virgiliosque sequor.

## EPITAPHIUM HAERASMI BIBERII EBRII

H2\_12 v.1 Qui legis, Haerasmi sunt contumulata Biberi  
 2 ossa sub hoc sicco non requieta loco.  
 3 Eripe, vel saltem vino consperge cadaver ;  
 4 eripe ; sic quaeso sint rata quaeque voles.

5 Ossa sub oenophoro posthac erepta madenti  
6 conde, natent temeto fac : requietus ero.

AD AMICUM CARUM QUOD SUI CAUSA PISTORIUM SE CONFERAT

H2\_13 v.1 Salve, vir populo spes certa ac maxima Tusco,  
2 salve, praeclaros inter habende viros,  
3 salve, qui, longos si sis provectus in annos,  
4 tempora Phoebea virgine cincta feres !  
5 Accipe si sileam tibi rem fortassis emendam  
6 quaeque animo nil non sit placitura tuo.  
7 Nuper apud mollis Senas fit pestifer aer,  
8 quo fit ut ipse petam Pistoriense solum.  
9 Sunt aliae Etruriis potiores montibus urbes,  
10 sed tu non alios incolis ipse locos.  
11 Sis modo Pistorii, Romam vidisse fatebor  
12 quum magis illa armis floruit aucta suis.  
13 Interea pathicam mihi, dulcis amice, puellam  
14 delige, quae vernas exspuat ore rosas ;  
15 neve sit exiguus toto sub corpore naevus,  
16 sit quoque cui tenerum spiret amoma femur,  
17 digna sit affectu, suavem quae norit amorem,  
18 quae velit et flammis reddere grata vices,  
19 mersilis in vitium, vivens in amore jocisve  
20 praeque proco cupiat postposuisse colos,  
21 divitibus vates, praeponat carmina gazis,  
22 sit prae versiculo vilis arena Tagi,  
23 denique sit pro qua sic possim dicere vere,  
24 pace dei dicam, "Pulchrior illa deo est".  
25 Illam ego continuo nostris celebrabo Camenis,  
26 carmina si placeant, carmina mille dabo.  
27 Quae si pro numeris ferat oscula, carmina condam,  
28 qualia Virgilium composuisse putes.  
29 Nec mihi Castalios latices petiisse necesse est,  
30 sit mihi Castalius salsa saliva liquor.  
31 Haec ego praestiterim, tu tantum quaerito nympham,  
32 quae thyaso et cantu docta sit ante alias.  
33 Tandem perpetua, salve, mens digna salute,  
34 cum tua nimirum sit mea paene salus.

AD SANSEVERINUM UT VERSUS FACERE PERGAT

H2\_14 v.1 Sanseverine, tuam legi bis terque Camenam,  
2 et placet et nullo claudicat illa pede.  
3 Dii simulac facili praestant tibi pectora vena,  
4 hortor, Pierios condere perge modos.  
5 Res sane egregia est, mortalia fingit et ornat  
6 pectora, post obitum miscet et illa deis.  
7 Tu, duce me, actutum vises Parnassea Tempe  
8 deque sacro pleno pectore fonte bibes.  
9 Nec te destituam, modo tu consortia vites  
10 cum rudis atque hebetis, tum rudis atque hebetis.  
11 Crassa quidem ruditus parvo te polluet usu

12 inficietque tuos transitione sinus.

IN MATHIAM LUPIUM CLAUDUM

H2\_15 v.1 Lupius, absposcis me rara epigrammata Marci ;  
2 concedam, rectis passibus ipse veni !

IN EUNDEM GRAMMATICUM

H2\_16 v.1 Tris habet arcana Mathias Lupius aula  
2 discipulos : unus de tribus est famulus.

PRO MARCO SUCCINO AD LUCIUM MAURAM

H2\_17 v.1 Pulchrior argento es, sed eris formosior auro,  
2 si bona reddideris verba, benigne puer.  
3 Est pia vestra domus, fratres, germana, parentes :  
4 sis pariter mitis, si pia tota domus.  
5 Est tua forma decens, mens sit quoque pulchra licebit ;  
6 convenient formae reddita verba tuae.  
7 Conservare viros perituros regia res est,  
8 haec nos caelitibus res facit esse pares.  
9 Ast ego Castalio deducam fonte Sorores,  
10 quae formam et mores et tua facta canant.  
11 Quid melius Musa tribuam ? quid carmine majus ?  
12 Si potius quid sit carmine, posce : dabo.  
13 Quem sacri vates voluere, est fama perennis ;  
14 tu quoque, ni fallor, carmine clarus eris.  
15 Namque ego doctiloquo vivaces carmine reddam  
16 semper amicitias, sit modo vita, pias.  
17 Quippe boni de te sument exempla minores,  
18 gaudebunt actus saepe referre tuos.  
19 Lux mea, Maura, vale ; tibi meque meamque Thaliam  
20 dedo : velis uti. Lux mea, Maura, vale.

PRO MARCO SUCCINO ORAT ET UT SPERET DE LUCIO MAURA EXHORTATUR

H2\_18 v.1 Dii faciles incoepa, precor, Succine, secudent,  
2 cum puero fautrix sit Cytherea suo,  
3 ut responsa hilari sint convenientia formae  
4 et reddat pulcher verbula pulchra puer.  
5 Est pia tota domus, fratres, germana, parentes,  
6 nescio quin speres, si pia tota domus.  
7 Ipse pios longe superat pietate propinquos ;  
8 nescio cur patri Maura sit absimilis.

## IN MATHIAM LUPIUM

H2\_19 v.1 Lupius in pueros, si quis screat, intonat ; idem  
2 dum comedit pedit, quum satur est vomitat.

## IN LENTULUM MOLLEM

H2\_20 v.1 Si neque tu futuis viduas neque, Lentule, nuptas,  
2 si tibi nec meretrix, nec tibi virgo placet,  
3 si dicas quod sis calidus magnusque fututor,  
4 scire velim, mollis Lentule, quid futuas.

## EPITAPHIUM MARTINI POLIPHEMI COCI EGREGII

H2\_21 v.1 Siste, precor, lacrimisque meum consperge sepulchrum,  
2 hac quicumque studens forte tenebis iter.  
3 Sum Polyphemus ego vasto pro corpore dictus,  
4 Martinus proprio nomine gnotus eram ;  
5 qui juvenes studiis devotos semper amavi,  
6 quem liquet et famulos et superasse coquos.  
7 Nunc ego funebri tandem spoliatus honore,  
8 thure carens, summa sum tumultatus humo.  
9 Me Mathesilanus tempesta in nocte recondi  
10 jussit et exequias luce carere meas ;  
11 nec cruce nec cantu celebravit nostra sacerdos  
12 funera, nec requies ultima dicta mihi,  
13 clamque fui sacco latitans raptimque sepultus,  
14 nec capiunt coleos arcta sepulchra meos.  
15 Dum feror obstupui timuique subire latrinas  
16 nec loca crediderim religiosa dari.  
17 Oro pedem adjecta claudas tellure parumper,  
18 qui patet, heu, vereor ne lanient catuli.  
19 Continuo domini complebo ululatibus aedem  
20 infaustis : poenas has dabit ipse suas.

## LAUS AURISPAE AD COSMUM VIRUM CLARISSIMUM

H2\_22 v.1 Si quis erit priscis aequandus, Cosme, poetis,  
2 et si cui Phoebus Pieridesque favent,  
3 si quis, quum loquitur vel splendida facta reponit,  
4 Mercurium jures ejus ab ore loqui,  
5 quive alios laudet cum sit laudabilis ipse,  
6 quive hedera merito tempora nexa ferat,  
7 si quis erit linguae doctus Graiae atque Latinae,  
8 si non Aurispa est hic, periisse velim.  
9 Quisquis in hoc mecum non senserit, arbiter aequus  
10 non fuit, aut certe Zoilus ille fuit.

## AD GALEAZ, QUEM ORAT UT SIBI CATULLUM INVENIAT

H2\_23 v.1 Ardeo, mi Galeaz, mollem reperire Catullum,  
 2 ut possim dominae moriger esse meae.  
 3 Lectitat illa libens teneros, lasciva, poetas,  
 4 et praefert numeros, docte Catulle, tuos,  
 5 nuper et hos abs me multa prece, blanda, poposcit,  
 6 forte suum vatem me penes esse putans.  
 7 "Non teneo hunc", dixi "mea lux, mea nympha, libellum ;  
 8 id tamen efficiam : forsan habebis opus".  
 9 Instat et omnino librum me poscit amicum  
 10 et mecum gravibus nunc agit illa minis.  
 11 Quare ego, per superos omnis, o care sodalis  
 12 (sic precibus lenis sit Cytherea tuis !),  
 13 Te precor atque iterum precor : id mihi quaere libelli,  
 14 quo fiam nostrae gratior ipse deae.

## MATHIAE LUPII SENTENTIA. AD BALBUM

H2\_24 v.1 Balbe, scias calidi quae sit sententia Lupi,  
 2 quam modo versiculis prosequare ipse meis :  
 3 "Si saepe efflictim cupiat mea mentula cunnum,  
 4 interdum affectet cruscula cauda salax,  
 5 non tamen umquam adeo delira aut plena libido est  
 6 ut popysma palam cumve cohorte rogem.  
 7 nolim cum populo compaedicare Jacinthum,  
 8 cum multis ipsam non Helenen futuam".  
 9 Sic ait. Id digito dictum tibi, Balbe, ligato  
 10 et clam paedico clamve fututor agas.

## AD MEMMUM DE PARTU LUTIAE NYMPHAE

H2\_25 v.1 Cum modo per dominae vicum mihi transitus esset,  
 2 haec ego pro nympha parturiente precor :  
 3 "Nunc age, nunc, Lucina, meae succurre puellae,  
 4 quae parit atque aliquem jam paritura deum est.  
 5 Ah, dolor ! en clamat, supplex tua numina poscens,  
 6 vocibus et lacrimas addit amara suis.  
 7 In me, dii, luctum dominae transferre velitis,  
 8 etsi me miserum non minor angor habet !  
 9 Quid cessas ? En, diva, tibi laus maxima, si tres  
 10 incolumi nympha restituisse potes !  
 11 Hei mihi, ne Superi, si in te mala forte rogarim,  
 12 audierint, votis et cruciere meis !  
 13 Parcite moratam, Superi, laesisse puellam  
 14 et facite ut veniant in caput illa meum.  
 15 Quin vereor neu te dudum Venus effera vexet,  
 16 sicque tua poenas impietate luas.  
 17 Cernis ut ultricem durum est offendere divam :  
 18 ergo tuo mitis sis facilisque proco !  
 19 Quid tardas, Lucina ? Veni faustissima nymphae,

20 lenis, io, nymphae, prospera diva, veni !  
 21 Postmodo sollemnes certe tibi construet aras  
 22 imponetque tuis menstrua thura focis."  
 23 Haec ego. Sed, quoniam dea sit tibi promptior, oro  
 24 ipse tuas praestes, splendide Memme, preces.  
 25 Nil dubito quin, flore dato votisque peractis,  
 26 exsolvet partus molliter illa suos.

## DE SUO OCCULTO AMORE

H2\_26 v.1 Uror, et occultae rodunt praecordia flammae :  
 2 o ego, si sileam, terque quaterque miser !

## IN MATHIAM LUPIUM VIRUM IGNAVUM

H2\_27 v.1 Aonia rediens Mathias Lupius ora  
 2 Castalidum steriles nuntiat esse lacus  
 3 et siccas laurus, nullam et superesse puellam :  
 4 singula contatus, comperit esse nihil.  
 5 Impuri nequeunt oculi spectare Sorores ;  
 6 scilicet ignavis Pegasis unda latet.

## PRO CENTIO AD CONTEM UT EX RURE REDEAT

H2\_28 v.1 Centius hanc vidua tibi mittit ab urbe salutem,  
 2 lux mea, mi Contes, dimidiumque animae.  
 3 Quid mihi laetitiae superest ? Ubi rura petisti,  
 4 spiritus est membris visus abire meis.  
 5 Id mihi laetitiae tantum est, puer urbe remansit,  
 6 inque suos vultus conspikor ipse tuos.  
 7 Ne fuge, care puer ; sine te, germane, videri,  
 8 dumque agit in silva ne fuge, care puer.  
 9 Plura velim, sed plura loqui dolor impedit : ergo,  
 10 vivere si cupias me, cito rure redi !

## AD LEUTIIUM FONERATOREM UT PLAUTUM COMMISSUM HABEAT

H2\_29 v.1 Hunc tibi quam possim Plautum commendo, Leuti,  
 2 Plautum, quem vocitat lingua Latina patrem.  
 3 Haud de te modicum, vates, oboleverat aetas,  
 4 te modo pernicies altera, fenus, edit.

## EPITAPHIUM NICHINAE FLANDRENSIS, SCORTI EGREGII

H2\_30 v.1 Si steteris paulum, versus et legeris istos,  
 2 hac gnosces meretrix quae tumulatur humo.

3 Rapta fui e patria teneris, pulchella, sub annis,  
 4 mota proci lacrimis, mota proci precibus.  
 5 Flandria me genuit, totum peragravimus orbem,  
 6 tandem me placidae continuere Senae.  
 7 Nomen erat, nomen gnotum, Nichina ; lupanar  
 8 incolui, fulgor fornicis unus eram.  
 9 Pulchra decensque fui, redolens et mundior auro,  
 10 membra fuere mihi candidiora nive,  
 11 quae melius nec erat Senensi in fornice Thais  
 12 gnorit vibratas ulla movere nates.  
 13 Rapta viris tremula figebam basia lingua,  
 14 post etiam coitus oscula multa dabam ;  
 15 lectus erat multo et niveo centone refertus,  
 16 tergebat nervos officiosa manus ;  
 17 pelvis erat cellae in medio, qua saepe lavabar ;  
 18 lambebat madidum blanda catella femur.  
 19 Nox erat et, juvenum me sollicitante caterva,  
 20 sustinui centum non satiata vices.  
 21 Dulcis, amoena fui ; multis mea facta placebant,  
 22 sed praeter pretium nil mihi dulce fuit.

CONQUERITUR QUOD PROPTER PESTEM A DOMINA AMOTUS SIT

H2\_31 v.1 Quando erit ut Senas repetam dominamque revisam ?  
 2 Me miserum, molli pestis ab urbe fugat !

OPTAT PRO NICHINA DEFUNCTA

H2\_32 v.1 Oro tuum violas spiret, Nichina, sepulchrum,  
 2 sitque tuo cineri non onerosa silex.  
 3 Pieriae cantent circum tua busta puellae  
 4 et Phoebus lyricis mulceat ossa sonis.

LAUS COSMI VIRI CLARISSIMI

H2\_33 v.1 Cosme, quis est Latiis vir felicissimus oris  
 2 conjugio, gaxis, prole, parente, domo ?  
 3 Quis patriae spes est ? Quis sanguine clarus avito ?  
 4 Vates quis priscos servat amatque novos ?  
 5 Pace quis Augustus, Caesar quis Julius armis ?  
 6 Quis fiet mira pro probitate deus ?  
 7 Cosme, quis hic est ? Aut certe tu, Cosme, vir hic es,  
 8 aut certe quis sit nescio : Cosmus, es hic.

AUCTORIS DISCIPULI VERSUS AD LUCIUM MAURAM QUOD NON SERVET PROMISSA

H2\_34 v.1 Cur non, Maura, venis ? Cur non promissa fidemque  
 2 solvis ? Cur nullo pondere verba refers ?

3 Nam, memini, dixti nobis venientibus ex te :  
 4 "Ite alacres, cras hinc vos petiturus eam".  
 5 Cras venit, nec te aerea deducis ab arce,  
 6 cras it, nec tu nunc, perfide Maura, venis.  
 7 Quod si nos flocci facias et ludere jam fas  
 8 esse putes, noli spernere, Maura, deos.  
 9 Maura deos temnit ; juravit numina divum  
 10 quod nos paganico viseret ipse solo ;  
 11 Maura deos temnit memores fandi atque nefandi,  
 12 spernit et ille viros, spernit et ille deos.  
 13 O levior foliis, avium ventosior alis !  
 14 Famineum et turpe est fallere sic alios.  
 15 Si te, Maura, juvat me fallere, falle ; sed illum  
 16 carmine qui claret ludere, Maura, cave.  
 17 Tu vatem et nomen, verum non dogmata nosti ;  
 18 nosce, capesse cito, carmine clarus eris.  
 19 Non mercede docet quemquam, non indigus auro est,  
 20 virtutis solum motus amore docet.  
 21 Me docuit doctor doctissimus edere versus ;  
 22 perdidici, et nunc jam carmina nostra legis.

AD LIBELLUM NE DISCEDAT

H2\_35 v.1 Quid vis invito domino discedere, quid vis ?  
 2 Quis te de nostra dejicit aede, liber ?  
 3 Quo fugis, infelix ? Degunt ubi mille Catones,  
 4 mille quibus tantum seria lecta placent ?  
 5 Cum censore, miser, rigido, laedere, rubesces,  
 6 quumve minus poteris, laese, redire voles.  
 7 Vana tui, quaeso, domini praesagia sunt  
 8 sitque timor vanus : thusque piperque teges.  
 9 I, verum auctoris rogitet si nomina lector,  
 10 immemorem nostri nominis esse refer.

CABALLUS FAME PERIENS DE LELPHO LUSCO DOMINO CONQUERITUR

H2\_36 v.1 Si qua tuus queritur, cupidissime Lelphe, caballus,  
 2 da veniam : macies cogit et alta fames.  
 3 Pulcher equus certe, velox pinguisque fuissem,  
 4 pectora quam sint et fortia et ampla vide  
 5 aptaque sint videas quam cetera membra peraeque.  
 6 Quod natura dedit, sumpsit avara manus.  
 7 Ah, quotiens faleris tectus fera bella subissem !  
 8 Ah, quotiens cursus praestitus esset honos !  
 9 Rodo nihil, rodit sed nostras inedia vires,  
 10 non etiam nostris dentibus herba datur !  
 11 Vix mihi dat noster paleas aliquando dominus  
 12 barbariem metro barbarus ille dedit.  
 13 Turpe quidem dictu, sed cogit turpia fari  
 14 turpis herus : proprio stercore pascor ego.  
 15 Stercore pascor enim, sed stercore pascimur ambo,  
 16 nam tu, ne comedas, non, vir avare, cacas,

17 neve bibas etiam non meiere, Lelphe, videris.  
 18 Exstitit, ut perhibent, dira Celaeno parens.  
 19 Sella carens lanis quae fecerit ulcera dorso,  
 20 lusce, vides ; caudae vulnera, Lusce, vides.  
 21 Cur equitans aspris calcaribus ilia tundis,  
 22 si vix sat plane, debilis, ire queam ?  
 23 Cur agilis vis dem, crudelis, in aera saltus,  
 24 tibia si nequeat lassa movere pedem ?  
 25 Ipse quidem collo malleum vectare quadrigas,  
 26 degere quam miseri sub ditione viri ;  
 27 ocius affectem pistrino, Lelphe, dicari,  
 28 sub te funestam quam tolerare famem.  
 29 Vera quis haec credat, nisi credunt vera molares ?  
 30 Ferrea sunt longa frena comesa fame.  
 31 Hordea cornipedi dulcis datur esca caballo,  
 32 sorbuit hos numquam sed mea bucca cibos.  
 33 Vera loquar, verum quis possit credere ventrem  
 34 dumtaxat vento vivere posse meum ?  
 35 Est, mihi vae misero, Macies incognita toto  
 36 corpore et in fractis artubus ossa sonant.  
 37 Sim licet informis simque aridus, hoc mage malim  
 38 quam Lelphus vacui pectoris esse velim.  
 39 Est Lelphus rationis inops et mentis egenus,  
 40 corpus ei, ut sus trux, efferitate riget.  
 41 Quum loquitur, boat ut bos, et flat putor ab ore,  
 42 ut dubius perstes culus an os loquitur.  
 43 Quum ridet, fauces inhiant ut asellus hiascens,  
 44 fit mihi de risu nausea saepe suo.  
 45 Plura equidem quererer, quoniam sunt plura, sed, heu heu,  
 46 lingua loqui plus nunc debilitata nequit.  
 47 Jam morior ; sotii, stabulum, praesepe, valetate.  
 48 Me miserum, videor debilitate mori !  
 49 Vos procul ite, ferae, procul hinc vos ite, volucres :  
 50 quo ruitis ? Modo vos pellis et ossa manent.  
 51 Plaudite ; nam Lelpum Luscum mandetis avarum,  
 52 ille crucis poenas, furcifer ille, dabit.

AD LIBELLUM UT FLORENTINUM LUPANAR ADEAT

H2\_37 v.1 Si domini monitus parvi facis, i, fuge, verum  
 2 Florentina petas moenia, parve liber.  
 3 Est locus in media, quem tu pete, festus in urbe,  
 4 quove locum possis gnoscere signa dabo.  
 5 Alta Reparatae scitare palatia Divae  
 6 aut posce agnigeri splendida templa dei ;  
 7 hic fueris, dextram teneas paulumque profectus  
 8 siste vetusque petas, fesse libelle, forum.  
 9 Hic prope meta viae est : hic est geniale lupanar,  
 10 qui sua signa suo spirat odore locus.  
 11 Hunc ineam, ex me lenasque lupalasque saluta,  
 12 a quibus in molli suscipere sinu.  
 13 Occurret tibi flava Helene dulcisque Mathildis,  
 14 docta agitare suas illa vel illa nates ;  
 15 te viset Jannecta, sua comitata catella

16           (blanda canis domina est, est hera blanda viris) ;  
 17   mox veniet nudis ac pictis Clodia mammis,  
 18           Clodia, blanditiis grata puella suis ;  
 19   Galla tuo peni vel cunno (nam tibi uterque est)  
 20           injiciet nullo tacta rubore manus,  
 21   Annaque Teutonico tibi se dabit obvia cantu  
 22           (dum canit Anna recens afflat ab ore merum) ;  
 23   te quoque conveniet crissatrix maxima Pitho,  
 24           quicum deliciae fornicis, Ursa, venit,  
 25   teque salutatum transmittet Thaida vicus  
 26           proximus, occiso de bove nomen habens.  
 27   Denique tam celebri scortorum quicquid in urbe est  
 28           te petet, adventu laeta caterva tuo.  
 29   Hic obscaena loqui simul et patrare licebit,  
 30           nec tinget voltus ulla repulsa tuos.  
 31   Hic (quod et ipse potes, quod et ipse diutius optas)  
 32           quantum vis futues et futuere, liber !

AD COSMUM VIRUM CLARISSIMUM DE LIBRI FINE ET DEDICATIONE

H238   v.1       Cosme, vale, vatum spes et tutela novorum,  
           2        jamque suos fines Hermaphroditus habet.  
           3        Cum nequeat majus, nam turbant otia curae,  
           4        hoc tibi, quodcumque est, devovet auctor opus.